



**Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis
Ecclesiæ**

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiæ, 1688

Ordo ministrandi extrem. Unct. tempore necessitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

94 Sacra Unctio in necessitate, aut contagione.

ORDO ADMINISTRANDI S.A.
CRAVENTUM EXTREMÆ UNCTIONIS,
qui tempore contagionis, aut summæ necessitatis
observari potest.

Pax huic domui. Rx. Et omnibus habitanti-
bus in ea.

BEnedic Domine domum istam, & omnes habi-
tantes in ea, quia tu Domine dixisti : Pax huic
domui ; benedic Domine timentes te pustilos cum
majoribus : benedicti vos à Domino, quæ fecit cœ-
lum, & terram.

Oremus.

Exaudi nos Domine sancte, Pater omnipotens,
æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum
tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, prote-
gat, visitet, atque defendat omnes habitantes in
hoc habitaculo : per Christum Dominum no-
strum. Amen.

Deinde præmissâ confessione vel generali, vel speciali, ut suprà,
post aspersionem aquæ benedictæ, inungat infirmum modo sub-
sequenti, nisi infirmus in extrema mortis lucta versetur, periculum
que sit, ne statim decedat; tunc enim sufficiet, frontem, vel aliud
membrum obvium inungere, ~~ut~~ suprà, de suscipientibus hoc Sa-
cramentum.

Ad oculos.

Per istam sanctam **X** Unctionem, & suam piissi-
mam misericordiam indulgeat tibi Dominus,
quidquid per visum deliquisti. Amen.

Ad

Sacra Unctio in necessitate, aut contagione. 95

Ad aures.

Per istam sanctam **✚** Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad nares.

Per istam sanctam **✚** Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad os labii compressis.

Per istam sanctam **✚** Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per gustum, & locutionem deliquisti. Amen.

Ad manus.

Per istam sanctam **✚** Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per tactum deliquisti. Amen.

Ad pedes.

Per istam sanctam **✚** Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per gressum deliquisti. Amen.

Parochus micâ panis pollicem defricet, manusque lavet: deinde manu signum crucis super infirmum producens dicat:

In nomine Patris **✚** & Filii, & Spiritus sancti sit
tibi hæc Unctio olei sanctificati ad purificatio-
nem

De visitatione, & cura infirmorum
nem mentis, & corporis, & ad omnium absolu-
tionem culparum, ad munimen, & defensio-
nem contra jacula immundorum spirituum, cu-
stodiatque te Jesus, & perducat te ad vitam æ-
ternam. Amen.

Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te de-
fendat, intra te sit, ut te conservet, super te sit, ut
te benedicat. Qui cum Patre, & Spiritu sancto
vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculo-
rum. Amen.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

PArochus in primis meminisse debet, non postremas esse mu-
neris sui partes, ægrotantium curam habere. Quare cum
primùm noverit, quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis æ-
grotare, non exspectabit, ut ad eum vocetur, sed ultrò ad il-
lum accedat; idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus o-
pus fuerit: horteturque parochiales suos, ut ipsum admoneant,
cum aliquem in parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si mor-
bus gravior fuerit.

Quod si Parochus legitimè impeditus, infirmorum, ut quando
plures sunt, visitationi interdum vacare non potest; id præstan-
dum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in parochia sua,
aut saltem per laicos homines pios, & Christianâ pietate præ-
ditos.

Eorum verò præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis de-
stituti, benigni, ac providi Pastoris charitatem, & operam requi-
runt. Quibus si non potest ipse succurrere de suo, & Eleemosynas
illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest,
sive per charitatis, vel alterius nominis confraternitatem, si in ea Ci-
vitate vel loco fuerit, sive per privatas sive per publicas col-
lectas